



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Ivdicivm Philippi Melanthonis De Controversia Coenae Domini

Melanchthon, Philipp

Ratisponae, 1560

VD16 M 3533

Scholia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29449**

## S C H O L I A.

(E) PERICVLOSVM) Ne totum se prodar  
esse Calvinianum.

(F) ILLIVSLOCI) Derei controuersia mul-  
ta adhuc premit.

(G) CONSILIA ET EVENTVS) Consilium  
quod fit, paulo post sequitur. Euentus est hactenus,  
q̄ Lutherani ministri sunt remoti, successerunt Calui-  
niani. Quis gubernarit, piorum esto iudicium.

(H) BELLA.) Nostri non cogunt armis, nisi  
Cingliani tale quid meditentur.

## T E X T V S.

**C**um autem ubiq; multi sint infirmi & nondum in-  
stituti, in doctrina Ecclesiæ, imò confirmati in erro-  
rib. (I) necesse est initio habere rationem infirmorū.  
Probo igitur consilium illustris. Electoris, q̄ rixantib.  
vtrinq; (K) mandauit silentium, ne distractio fiat in tene-  
ra Ecclesia, & infirmi turbentur in illo loco & vicinia:  
Et optarim rixatores in vtrâq; parte abesse. (L)

## S C H O L I A.

(I) IN ERRORIBVS) Sic vocat etiam doctri-  
nam Aug. Cōf. de Cœna: quā, quos mox perstringit pios  
Doctores, ipsi doctrinā tuentur, aduersus Cinglianos.

(K) RIXANTIB. Vtrinq; mandauit.) Nouum  
genus sapientiæ in Ecclesia Christi, vtrisq; mādare silen-  
tium: Noui conatus, simul abigere cōstantes Doctores,  
defensores veritatis, & magistratu compescere: Et erunt  
sic omnia noua, mox etiam Augustana Confessio noua.

Cæterum Ieremias & ipse audiebat : Vir rixarum & discordiarum, arguendo idolatriam & peccata populi. Nec patiebatur vero silentium sibi imponi, quod idem et Apostoli fecerunt.

(L) ABESSE) Agnosce, Heshusi, tuum persecutorem.

### T E X T V S.

SECUNDO remotis contentiosis, prodest reliquos de vna (M) forma verborum conuenire. Et in hac contro- uersia optimum esset retinere verba (N) Pauli : Panis, quem frangimus, κοινωνία ἐστὶ τοῦ σώματος : Et copiose de fructu Cœnæ dicendum est, vt inuitentur homines ad amorem huius pignoris, & crebrum vsum : Et vocabu- lum κοινωνία declarandum est. Non dicit (O) mutari na- turam panis, vt Papistæ dicunt : Non dicit vt (P) Bre- menses : Panem esse substantiale corpus Christi : Non dicit vt Heshusius, Panem esse verum corpus Christi: sed esse κοινωνίαν, id est, hoc quo fit consociatio cum corpore (Q) Christi, quæ fit in vfu, & (R) quidem non sine cogi- tatione, vt cum Mures panem rodunt.

### S C H O L I A.

(M) FORMA VERBORVM) Nouum & hoc genus concordia, de forma verborum conuenire, vt omni- bus de re nondum conueniat, donec & hoc perficiatur, & obtineat error.

Aut veteris illius Arianæ similem concordiam esse volunt, qua inita simili forma verborum, Ariana pars pulchre imponebat parti Orthodoxæ : Et erant nouissi- ma peiora prioribus.